





9
Disputatio VI.
DE PECCATIS

ACTVALIBVS, ET PECCA-
to in Spiritum sanctum,
EX SECVNDO ARTICVLO
Confessionis Augustanæ:

Cuius Theses,

ÆTERNO DEO FAVENTE,
PRAESIDE ÆGIDIO HUNNIO, S. Theologiæ
Doctore & Professore, IOANNES VVIBERVS
Rigenfis Livonus, in privato Collegio Dispu-
tationum Theologicarum, die 25.
Iulij, tueri conabitur.



WITTENBERGÆ,
Excudebat Vidua Matthæi
VVelaci.

M. D. XCIIII.

DISPOSITIO VI DE
DEPENSIBUS

ACTUALIUM ET RECO-

EXERCITIO ARTIFICIO

DE RECOGNITIONE

DE RECOGNITIONE

DE RECOGNITIONE

DE RECOGNITIONE

DE RECOGNITIONE

DE RECOGNITIONE

DE RECOGNITIONE

DE RECOGNITIONE

DE RECOGNITIONE

DE RECOGNITIONE

DE RECOGNITIONE

DE RECOGNITIONE



DISPUTATIO DE
PECCATIS ACTUALI-
bus, & Peccato in Spiritum
sanctum.

T H E S I S I.



Ostendit expeditam Disputationem de Peccato originis, sequitur disquisitio de peccatis actualibus, tanquam illius fructibus & effectis.

2. Est autem peccatum actuale omnis vitiosa & cum lege Dei pugnans actio, siue interna ea sit, siue externa, siue cogitatio, siue affectus & motus, siue dictum, siue factum.
3. Hanc definitionem ut probè excutiamus, in initio peccatum actuale non simpliciter actionem, sed VITIOSAM actionem esse dicimus.
4. Diligenter enim inter actum ipsum, & inter ἀταξίαν actus siue motus, est distinguendum.
5. Actus seu motus ipse est à Deo, tanquam à causa prima & remota: iuxta illud; In ipso sumus, vivimus & movemur, Act. 17.
6. Nemo enim quisquam manum vel etiam digitum movere, vel quicquam agere potest, nisi Deo sustentante naturam agentem, & motum largiente.
7. Αταξία verò, gratia cuius actio ex impuro corde promanet, & ad illicitum obiectum tendit, non est à Deo, sed è depravata natura & impulsore Satana.
8. Haud aliter, atq; in claudicatione duo concurrunt: nempe motus siue progressio: Deinde deformitas in motu & ingressu.
9. Motus ipse est ab anima: deformitas autem, quæ motum siue progressionem illam inconcinnam efficit, non ab anima est, sed à naturæ defectu quodam, aut corporis vitio.
10. Porro hac, de qua dictum est, ἀταξία polluitur actio hominis, ut cum Dei lege pugnet, indeq; peccati actualis nominationem sortiatur.

divisio

Concupiscentia

11. Estq; actuale peccatum duplex, Internum quoddam, quoddam verò externum.
12. Internum primò est cogitatio prava, eaq; vel forinsecus à Satana instar igniti reli nobis immissa, vel etiam, sine peculiari inspiratione Diaboli humanitùs in mente surgens.
13. Idq; vel contra omnem voluntatem hominis, qui excutere potius eam conatur; vel ita, ut voluntatem eius afficiat & ad illicitæ rei appetitionem inclinet: unde iam concupiscentiæ nomen adipiscitur.
14. Est verò concupiscentia hæc non originalis illa, cuius vitio tota Natura indefinitè ad malum omne prona est, Gen. 6.
15. Sed actualis hæc, cum actu finita, tum certo obiecto terminata, qua homo iam *ἐνεργεία* concupiscit, & concupiscendo fertur in rem Dei lege interdictam.
16. De hac sonant duo præcepta Decalogi postrema: Non concupisces domum proximi tui. Non concupisces uxorem proximi tui, nec servum, nec ancillam &c.
17. Concupiscentia hæc verè & propriè peccatum est, quia Decalogi lege vetita, ideoq; *ἀνομία*, & per consequens, vi definitionis Apostoli Ioannis, *ἡμαρτία* seu peccatum. 1. Ioan. 3.
18. Certè quia fertur ad obiectum prohibitum: hoc ipso immutabili Dei voluntati repugnat, atque idcirco peccatum est verè atque propriè.
19. Iam cum mors sit stipendium peccati propriè sic dicti, Rom. 6. & 1. Corinth. 15. certè si mors stipendium est concupiscentiæ: patebit, hanc esse peccatum significatu proprio sic dictum ac definitum.
20. Esse verò concupiscentiæ quoque decretam mortem, eamq; non temporalem solum, sed æternam simul: ostendit maledictio illa promulgata cœlitùs super eos omnes, qui non manent in OMNIBVS, quæ scripta sunt in libro legis, Deut. 27.
21. Maledictus ergo ex sententia legis est & is, qui non manet in nono & decimo præceptis concupiscentiæ malum prohibentibus.
22. Quod adeò verum est, ut Christus etiam malas cogitationes ijs peccatis annumeret, quæ hominem coram DEO polluunt & immundum reddunt. Matth. 15.
23. Hinc & iram concupiscentiæ malè volendi faciendique proximo

proximo flagrantem, quantumvis adhuc inclusam cordi, nec in apertum progressam, Christus ut homicidium quinto præcepto divinitus interdictum apertè damnat, Matth. 5.

24. Et eum qui vel aspexerit uxorem alterius ad concupiscendum eam, iam iam adulterium cum ea commisisse in corde suo, disertè pronunciat. ibid.

25. Quid? quòd Paulus scribit: Peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam & concupiscentiam non novissem, nisi lex dixisset: non concupisces. Nónne his verbis concupiscentiam peccatis proprijsimè sic appellatis accenset?

26. Quod cum ita sit, ipsa res declarat, impium & à Christiana pietate scripturæq; autoritate prorsus alienum esse Tridentini Concilij canonem, qui concupiscentiam propriè peccatum esse negat, atque hoc affirmantes sceleratè condemnat.

27. Est verò & alia peccatorum actualium distinctio, ut quod vulgò quædam venialia dicuntur, mortalia cætera.

28. Equidem veniale peccatum, naturá & extra Salvatoris Christi meritum, planè nullum est: sed omnia, etiam interna peccata, imò & pravæ cogitationes, aliàs in humano iudicio liberæ, mortalia peccata sunt, æternasq; commerentur pœnas.

29. Quanquam enim peccatum actuale transit actu: manet tamen reatu: & actu quidem finitum est, quia verò impingit in infinitum Deum, eiusq; æternam iustitiam offendit; æternam quoque infinitamq; pœnam perpetuæ damnationis affert.

30. E converso his, qui fidè in Christum à peccatis iam suis iustificati sunt, nullum præteritum peccatum amplius est mortale, sed remissa & condonata simul omnia. Quemadmodum scriptum est: nulla est condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu, Rom. 8.

31. Peccatorum verò, quæ iustificati & renati porrò faciunt, ea est differentia, ut quædam appellentur non regnantia, ideoq; ut gratiæ Christi venialia; quædam verò regnantia, ideoque mortalia.

32. Peccata non regnantia sunt in renatis dubitationes, cogitationes & concupiscentiæ pravæ, quibus illi resistunt. Sunt etiam improvidè dicta vel facta, ex ira subita, incogitantia,

Alia divisio

peccata non regnantia

stantia, ignorantia non affectata, vel quacunque affectuum per-
turbatione: Quælia multa leguntur etiam in lacris, de homini-
bus verè sanctis & regeneratis.

33. De quo præcipuè genere peccatorum illud Psalmi in-
telligendum est: Delicta quis intelligit? ab occultis meis mun-
da me.

34. Et illud Prou. 24. Iustus in die cadit septies, & resur-
git. Dolent enim sancti de ijs, & indes remitti illa sibi pro-
pter Christum Mediatorem petunt.

35. Quin etiam tota illa tristis & tragica querela Pauli, Ro-
man. 7. Non quod volo, facio bonum, sed quod non volo
malum, hoc ago.

36. Damnatur igitur error Pontificiorum, qui in renatis
peccata manere negant. Contra sanctorum omnium perpetu-
am querimoniam, contraq; Spiritus sancti clarissimum affir-
matum, 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quòd peccatum non habemus,
nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est.

peccata regnantia

37. Peccata regnantia sunt, quando homo peccatum origi-
nis, cunctorum reliquorum fontem, regnare sinit in mortali
suo corpore, ut obediat illi per cupiditates eius. Rom. 6. laxato
scilicet freno concupiscentiæ malæ, quæ militat adversus ani-
mam. 1. Pet. 2.

38. Atq; hoc est, quod Divus Iacobus ait: Concupiscentia,
posteaquam concepit, parit peccatum (scilicet externum illud,
quod opus carnis à Paulo dicitur) peccatum verò perfectum
(seu opere completum) progignit mortem. Iac. 1.

39. Peccata hæc regnantia passim enumerat Paulus: maxi-
mè tamen 1. Cor. 6. Gal. 5. Ephes 5. & Goloss. 3.

40. Cuiusmodi sunt, idololatria, immunditia, lasciuia, scor-
ratio, adulterium, mollities, veneficium, inimicitia, lites, æmu-
lationes, iræ, concertationes, seditioes, sectæ, invidia, cædes,
ebrietates, comestiones, avaritia, quæ est simulacrorum cul-
tus, rapacitas, furtum, maledicentia, & his consimilia.

41. De quibus enunciat Spiritus sanctus, quòd qui talia faci-
unt, non habituri sint partem in regno Dei & Christi.

42. Cumq; hoc indifferenter ad universos, qui se his pec-
catis polluunt, referatur, adeo ut Apostolus etiam universali
particula uti non dubitarit, inquit: OMNIS scortator, aut
immun-

immundus, aut avarus, NON habet partem in regno Dei: quis non cernat, palpabilem esse falsitatem, quòd Calvinistæ ue his quidem commemoratis peccatis, quantumvis atrocissimis, nullum eorum, qui vel semel regenerati sunt, gratia Dei excidere, & Spiritum sanctum ac fidem amittere posse contendunt.

43. Paulus econtra regeneratis Romanis sanctè confirmat, morituros illos esse, si secundum carnem vixerint. Rom. 8

44. Et excisum illos iri ex vera olea, si in bonitate non permanferint. Rom. 11.

45. Ut & Dominus de iustis pronunciat, si se averterint à iustitia sua, & fecerint secundum iniquitates impiorum, futurum, ut Dominus omnis illorum iustitiæ antegressæ non sit recordaturus amplius, sed in peccatis, quæ fecerunt, perituros illos esse. Ezech. 18.

46. Quod de seipso, quàmlibet renato verè & iustificato, Paulus edisserit. 1. Cor. 9. scribens: Castigo corpus meum, ne dum alijs prædicavero, IPSE REPROBUS efficiar.

47. Verùm hoc pluribus & ex professo tractabitur, cum pervenierimus ad articulum Confessionis Augustanæ duodecimum, quo damnatur ille Anabaptistarum error ac furor, quem cum eis communem habent Calvinistæ, nimirum semel iustificatos non posse amittere Spiritum sanctum.

48. Restat ut de peccato in Spiritum sanctum dicatur; cuius mentio fit Matth. 12. Marci 3. Luc. 12. Tit. 3. Heb. 6. & 10. & 1. Ioan. 5.

49. Omnia quidem peccata, nullo penitus excepto, committuntur adversus Deum, atque sic ex æquo adversus patrem, filium & Spiritum sanctum.

50. Tota namq; Trinitas prohibuit ea, offenditur ijs, & punit illa, nisi fiat remissio.

51. Hic verò de quodam singulari peccato agitur, quod sub definita certaq; ratione specifica distinguitur a peccato in filium commisso, & peccatum in Spiritum sanctum nuncupatur, dicente Christo: quicunq; dixerit verbum adversus FILIUM hominis, remittetur ei: qui autem dixerit adversus Spiritum sanctum, non remittetur ei.

52. Peccatum in filium hominis dicitur peccatum incredulitatis,

*petm in filium
5015*



litatis, cum quis offensus humilitate personæ Christi, vel quacunque alia ratione, ignorans illum reijcit aut oppugnat; vel etiam tempore persecutionis offenditur in Christo, eumq; ex infirmitate abnegat.

53. Dicitur autem hoc alterum peccatum, de quo nunc agimus, ideo in Spiritum sanctum committi, quia non solum oppugnat Verbum, quod est Spiritus sancti Organum, cuiusq; Ministerium appellatur ministerium spiritus. 2. Cor. 3. ita ut qui Ministerio verbi resistunt, resistere dicantur Spiritui sancto, Gen. 6. Esa. 64. Act. 7. 1. Thess. 4.

54. Verum etiam, quia pertinaciter obluçantur tales testimonio Spiritus sancti, convincentis illorum conscientiam de veritate doctrinæ, cui testimonio & ἐλέγχῳ Spiritus ipsi scientes volentes obstant.

55. Itaq; ut ad investigationem peccati huius recta & conveniente methodo progrediamur, committitur id non moribus, sed in doctrina.

56. Doctrina verò potissimum Evangelij & gratiæ: iuxta manifestam antithesin Legis & Evangelij Heb. 10. expressam hisce verbis: Qui aspernatus fuerit Mosis legem, absque misericordia sub duobus aut tribus testibus moritur: quantò putatis peioribus afficietur supplicijs, qui filium Dei conculcarit, & sanguinem Testamenti ceu rem profanam habuerit, per quem fuerat sanctificatus, & SPIRITVM GRATIÆ contumelia affecerit.

57. Ad constituendam ergo Peccati huius definitionem, spectandum initio venit obiectum, quod est divini verbi veritas.

58. Veritas autem, ut dictum est, in corde iam agnita, de qua per Spiritus sancti ἐλέγχῳ homo convictus est.

59. Ideoq; Apostolus Heb. 10. de hoc scelere ex professo tractans ait: si volentes peccaverimus POST ACCEPTAM COGNITIONEM VERITATIS: non ultra pro peccatis est hostia.

60. Et tales, qui crimine hoc sese polluant, Paulus ἀυτοκατακρίτους nominat, Tit. 3. ubi de hæreticis agit in doctrina convictis & proprio suo iudicio damnatis.

61. Secundo requiritur huius agnitæ veritatis abnegatio, sive

sive ab eadem defectio & apostasia: quam Epistola ad Hebræos per desertionem Ecclesie veræ seu aggregationis nostræ mutuae vult intellectam. Heb. 10.

62. Vnde & Salvator Luc. 12. peccato abnegationis mox sermonem de Blasphemia in Spiritum sanctum atexit, ita coherentibus ipsius verbis: Qui me negaverit coram hominibus, negabitur coram angelis Dei. Et quisquis loquitur dictum in filium hominis, remittetur illi: ei verò, qui in Spiritum sanctum convitium dixerit, non remittetur.

63. Tertio, neque hæc veritatis agnitæ abnegatio ad plenam specialissimæ huius peccati definitionem sufficit: sed amplius requiritur, ut abnegatio seu defectio ista non à periculi formidine, atque sic ex infirmitate profecta sit, ut in Petro; sed à libera voluntate seu destinato proposito.

64. Vnde Heb. 10. in peccati huiusce descriptione additur: Si **VOLENTE**s peccaverimus post acceptam cognitionem veritatis &c. Vbi voluntatis vox hic non voluntatem metu periculi inclinatam, sed perversæ voluntatis impetum cæcum & insanum significat.

65. Quarto non nuda Apostasia seu defectio ab agnita veritate, quantumvis ea voluntaria, peccatum atrox hoc constituit: sed accedat necessum est hostilis oppugnationis coniuncta cum blasphemia.

66. Ideo namque Christus βλασφημίαν τὸ πνεύματ^ο, **BLASPHEMIAM** spiritus seu in Spiritum sanctum nominat. Matth. 12. Marci 3. & Luc. 12.

67. Vt & Autor Epistolæ ad Hebræos testatur, tales homines spiritum gratiæ **CONTUMELIA AFFICERE**. Heb. 10.

68. Ex his ergo proprietatibus eius, non divisim consideratis, sed simul iunctis, emergit hæc definitio, quod peccatum in Spiritum sanctum est abnegatæ agnitæ veritatis voluntaria & hostilis oppugnationis coniuncta.

69. Definitio hæc exemplorum applicatione clarior evadet & dilucidior.

70. Conferantur exempli Pauli, Petri, & Phariseorum, quos Matth. 12. Christus huiusce criminis reos agit.

71. Paulus ante conversionem suam oppugnat veritatem
B coelestem

defin. peccati in Spm
S.

caelestem, voluntariè, & non sine blasphemia: sicut ipse perhibet, fuisse se blasphemum & persecutorem & violentum.

72. Deest verò hæc unica proprietas, quòd non sciens hoc fecit. Quemadmodum ipsemet ista proprietate suum peccatum à peccato in Spiritum sanctum secernit, addens: sed & misericordiam consecutus sum, quòd **IGNORANS** fecerim **PER INCREDLITATEM**. 1. Tim. 1.

73. Petrus abnegat Christum, & quidem agnitum: abnegat autem non ita voluntarie, sed ex infirmitate, metu periculi; nec oppugnat veritatem, quam abnegaverat, multoq; minus illam blasphemat, sed potius ex animo lapsum istum suum deplorat & resipiscit.

74. In Pharisæis autem, quos accusat Dominus huius peccati, proprietates simul omnes concurrunt.

75. Nam & doctrinæ Evangelij Iesu Christi se opponunt, & quidem convicti de veritate: cuius fulgorem & efficaciam ex maiestate signorum Domini Iesu cœperant agnoscere.

76. Quod & Nicodemus suo simul & Pharisæorum reliquorum nomine testatur, inquiens: Rabbi, **SCIMVS**, quòd à Deo veneris magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum illo. Ioan. 3.

77. Et Christus ipse non obscure indicat, venisse ad illos regnum Dei, & cœpisse iam Spiritum immundum apud illos eijci per agnitionem Evangelij, ope Spiritus sancti apud illos excitatam: quam verò ipsi pervicaci malitia repellendo, dæmoni iam eijci cæpto pristinum hospitium adornarint, ut assumtis septem deterioribus spiritibus reversus faciat postrema illorum deteriora primis.

78. Quanquam ergo per Spiritum sanctum convicti noverrant, Dominum Iesum digito & spiritu Dei eijcere dæmonia, indeq; verum declarari Deum, & promissum Messiam: tamen eò diabolicæ impietatis iam erant progressi, ut quod à **DEI** spiritu profectum cognoverant, ut quod à **DEI** spiritu profectum cognoverant, nihilominus contra cordis sui testimonium ad Principem dæmoniorum omnium Beelzebub referre non cohorrescerent.

79. Interim & hoc monendum est, profundius sese huic peccato immergere, qui non solum convicti Spiritus sancti testimonio,

stimonio, sed eodem insuper ceu pignore & arrha in agnita
veritate gratiosè obsignati, vereq; illuminati fuerant, atq; post
inexecrabilem hanc blasphemiam ruunt præcipites.

80. De quibus etiam potissimùm Epistola Heb. 6. & 10.
agit, eosq; sic describit, quòd antè fuerint illuminati, gustave-
rintq; donum cœlestè, & participes facti fuerint Spiritus sancti,
gustaverintq; bonum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi, &
nihilominus prolabantur, ab integro crucifigentes sibi metipsis
filium DEI, & conculcantes eum, & sanguinem testamenti
ceu rem profanam habentes, quo prius sanctificati fuerant.

81. Porrò irremissibile dicitur hoc peccatum, non quòd
excedat magnitudine sua vel gratiam DEI, vel gratiam me-
ritum.

82. Illa enim, exuberante peccato, magis etiam exuberat
Rom. 5. hoc verò valet ad propiciationem peccatorum totius
mundi. 1. Iohan. 2. sub quibus etiam blasphemia in Spiritum
sanctum indubitato comprehenditur.

83. Sed fit illorum peccatum irremissibile, dum ipsum con-
versionis & salutis organum, verbum Dei, imò thronum gra-
tiæ Iesum Christum, non oblique, ut peccatis cæteris fieri con-
suevit, sed directè, & quidem extremo conatu ad amentiam &
rabiam usque oppugnant.

84. Quo medio & autore salutis ita reiecto: mirum neuti-
quam est, nullam eis superesse hostiam aliam pro peccatis, sed
formidabilem expectationem iudicij & ignis vehementiam,
qui devoraturus est adversarios.

85. Coniungitur verò cum spiritus blasphemia, certissima
induratio, respectu cuius, æterno quodam & inexpugnabili
proposito in peccato suo perseverant, tandemq; veniente hora
mortis vel indurata mente moriuntur, vel in desperationis as-
byssum sine ulla spe salutis absorbentur.

86. Hæc adiuncta induratio, est quæ principaliter efficit, ut
veniæ expers fiat horribile hoc blasphemiae crimen.

87. Aliàs si contingeret, ut etiam hi, qui peccato hoc suam
conscientiam macularunt, ad Dei gratiam ferijs gemitibus
aspirarent: absq; dubitatione ulla hoc etiam crimen eis vi pro-
piciationis Iesu Christi remitteretur.

88. Idq; tam est verum, ut hos ipsos, quos de peccato in

B 2

Spiri-

*Cur dicitur irremissibile
bita potest in sp. s.*

Spiritum sanctum accusaverat Christus, moneat tamen, ut arborem faciant bonam & fructum eius bonum, hoc ipso palam ostendens, non ita huic peccato veniam omnem præcise negari, quin, si homo resipiscat, sui sceleris condonationem ex plenitudine satisfactionis Messiae consequatur.

89. Errare autem eos statuimus, qui non expensis cæteris proprietatibus & circumstantiis, sola impœnitentia finali hoc peccatum imperitè definiunt. Ita namq; conficeretur, omnes damnatos, quia sine pœnitentia discesserunt, habuisse hoc singulari peccatum, quod non nisi in paucissimis reperiri certum est.

90. Reprehensione quoque dignissimos esse censemus eos Concionatores, qui cum ignorent, quid sit peccatum Spiritum sanctum, pro suggesto tamen pronunciare ex inscitia non verentur, esse hoc vel illud peccatum, in quod tum invehuntur, peccatum in Spiritum sanctum: his suis clamoribus sæpiusculè dubitationum, laqueos & desperationis ansam perturbatis & anxiiis conscientijs subministrantes: cum quidem aliæ suppetant rationes & argumenta, quibus ab impietate vitæ & sceleribus gravissimè deterreri queant auditores, si maxime id cum ista periculosa confusione diversarum specierum peccati non fiat.

F I N I S.



AB 61 430

ULB Halle

3

002 694 131



SK







9
Disputatio VI.
DE PECCATIS

ACTVALIBVS, ET PECCA-
to in Spiritum sanctum,
EX SECVNDO ARTICVLO
Confessionis Augustanæ:

Cuius Theses,
ÆTERNO DEO FAVENTE,
PRAESIDE ÆGIDIO HUNNIO, S. Theologiæ
Doctore & Professore, IOANNES VVIBERVS
Rigenfis Livonus, in privato Collegio Dispu-
tationum Theologicarum, die 25.
Iulij, tueri conabitur.



WITTEBERGÆ,
Excudebat Vidua Matthæi
VVelaci.
M. D. XCIIII.

